



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XIII. De Torneamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITVLVS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Torneamenta sunt solennes Ludi Eque-
stres.
3. Sub gravibus penis olim prohibiti:
4. Hodie, cum vita periculum abest, lai-
cia:
5. Non etiam clericis permiffi.

1. **U**T evitentur homicidia, Ecclesia tolli & vitari voluit frequentiores eorum causas & occasiones, ut sunt Torneamenta, Duella & ars Sagittariorum seu Ballistariorum, de quibus salubriter constituta ad hanc & proximè sequentes duas Rubricas referuntur.

2. Torneamenta, Germanicè *Thurnier* à Græca voce *θῶρνιον*, sive circumeundò sic dicta, sunt Nundinæ sive hastiludia & solennes pugnæ equestres; in quibus milites sive, ut superioribus sæculis frequenter in Germania, Equestris Ordinis nobiles ex condicito convenire, & ad ostentationem virium, peritiæ tractandorum armorum, audaciaque suæ congregari solent, ut ex Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. celebrato, refertur c. 1. & ibi notant Honorius n. 1. & Gonzalez n. 5.

3. Fieri autem huiusmodi Torneamenta sive hastiludia duplici modò possunt. Primò quidem temerè, hastis acutas cu-

spides præfixas habentibus, aliisque armis advulnera infligenda expeditis: quò modò licet veteri Pandectarum permiffa videantur, l. *Qua actione* 7. §. 4. ff. ad L. Aquil. § 1. Solent 2. ff. de Aleat. novò tamen Codicis, l. *Unic. C. de Gladiat.* & præsertim Canonico Jure propter cædes & animarum pericula, quæ frequenter evenire solent, prohibita sunt; ut, si quis in iis occubisset, non solum occidens plecteretur instar voluntarii homicidæ, secundum Hostiens. in *Summa* n. 3. sed laico occiso, quantumvis ante obitum poenitenti concedatur sacrum Viaticum; quia Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti, c. *Quod in te* 11. de Penit. & remiss. mortuo tamen ad terrorem & correctionem aliorum sepultura Ecclesiastica denegatur, c. 1. & c. *fin. hâc Rubr.* & Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Reformat.*

Secundò, adhibitâ cautelâ, v.g. hastis sine cuspidè, vel aliis armis hebetatis congregandiò: cujusmodi etiam Torneamenta olim à Clemente V. in Concilio Viennensi *Constit.* quæ incipit *Passiones* editâ sub excommunicatione Papæ reservatâ prohibita fuerunt; propter immodicos sumptus, quibus in splendorem & apparatus profusis exhausti nobiles alique fideles ab ordinario Terræ sanctæ subsidio, & assumptione S. Crucis abstrahantur, Gonzalez in c. *fin. cit. n. 7.* Postea tamen censuræ istæ ad Regis Franciæ, & Germaniæ nostræ Principum ac Magnatum

Magnatum instantiam revocatae sunt à Joanne XXII. *Extravag. Unica hanc Rubr.* Unde hodie istiusmodi Torneamenta sive innoxii ludi Equestres in Principum inauguratione, nativitate, nuptiis &c. laicis interdicti non sunt, si cum debita moderatione, itaque instituuntur; ut non sit periculum caedis, aut gravis vulneris, nisi casu & per accidens, secuturi, Navarrus *Manual. cap. 19. n. 9.* & Stephan. Costa *Tracl. de Ludo art. 1. §. 2. n. 31.*

5. *Lais, inquam iterato; quia clericis Torneamenta sive hastiludia utroque: &*

priori quidem modo instituta prohibita sunt *can. Quicumque clericus 3. q. 4.* ubi pro eo, qui in iis occumbit, in poenam oblationes & orationes publicae prohibita: sepultura tamen Ecclesiastica; quod persona Deo dicata sit, non est denegata. Posteriori autem modo inita in Conciliis Herbipolensi, *can. IV.* clericis ea vetante sub Honorio IV. & Salisburgenfi, sub Martino V. eosdem, in quacunque dignitate constituti sint, si hastiludii vacaverint, anathemate feriente, ut refert *cit. Gonzalez n. 6. §. 11.*



TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 1. Duelli etymon ac definitio. | 15. Et ad duellum provocantes, eò non securo: |
| 2. Divisio in Publicum & Privatum. | 16. Etsi hoc casu excommunicationem patrum |
| 3. Licitum est duellum, subrogatù bello, | 17. Non etiam casu &c. presentes incurvant. |
| 4. Ad frangendos hostium animos &c. | 18. Privatio sepulturae sacra lata sententia est, |
| 5. Vel pro vita ac fortunarum defensione susceptum. | 19. Et incurritur à duellantibus, qui paenitentes decedunt: |
| 6. Illicitum, si ad virium & peritia militaris ostentationem, | 20. Nisi post unum alteri unum diem primum moriantur. |
| 7. Illata injuria vindicationem, | 21. Reservatio censura, duello privato contracta, non ubique est in usu. |
| 8. Aut Veritatis, Justitiae, vel Innocentiae probationem subeat. | |
| 9. Pro honoris defensione ad duellum provocare, | |
| 10. Et id oblatum acceptare, non licet. | |
| 11. Pena in duellantes Civili, | |
| 12. Et Canonico Jure in eos, si clerici, | |
| 13. Etsi laici sint, constituta. | |
| 14. Eas non incurrit in rixa, subito orta, congregantes, | |

Duellum sic dicitur, quasi Duorum, sive duarum partium sit bellum, Jacob. de Castill. *Tracl. de Duello, Proam. n. 1. §. 8.* & latè quidem quodcumque duarum partium: strictè verò & in sensu hujus Rubricae